

Est A-16294



Ernesto Kieckers, V. Cl. amico
et collegae Dorpatensi
d. d. d. scriptor.

IN HONOREM
ILLVSTRISSIMAE
STVDIORVM LITERARVMQVE
VNIVERSITATIS PATAVINAE
SAECVLA SVA SEPTEM
GLORIOSE PERACTA
CELEBRANTIS

SCRIPSIT

J. BERGMAN

Literarum latinarum professor
Legatus Universitatis Estonicae Dorpatensis

DORPATI ESTONORVM
MDCCCXXII

TARTU ÜLIKOOLI
RAAMATUKOGU

U 28886598

Saecula decedunt, nascuntur saecula: semper
tu vivis remanens exsuperasque vices,
urbs immortalis Romaque antiquior ipsa,
 quae splendore novo redderis usque recens,
urbs, ubi fama tulit Troiae post ultima fata
 illuxisse novam spem roseumque diem
reliquiis Danaum profugisque Antenore rege
 Hesperiam ductis per freta perque solum,
urbs, ubi miramur tot magnae nomina famae,
 ingeniosorum tot monumenta patrum.
Te salvare iubet tibi cognita musa latina,
 urbs Italiae gentis gloria, dulce decus.



Te genetrice ortus nec non nutrice adolevit
 ille vir illustris, nobilis eloquio
urbis Romanae septem qui saecula vetusta
 Lethaeis tenebris nuntius eripuit.
Saecula ruunt. Umbras obduxerat invidus orbi
 nescio quis daemon, funera, barbariem.
Vnica lucebas tu, splendida gens Italorum,
 monstrabasque viam nox ubi densa fuit.
Condita tum Patavi musarum et luminis arx est,
 humano generi ferret ut illa faces.

9

Tempora praetereunt. Quot nomina clara nitebant
saecula per septem lumine perpetuo!
Ecce vir emicuit semper memorabilis ille,
vir sapiens, grandi nomine, mente sagax,
ingenio cuius perspecta est machina mundi
stellantisque poli lex stabilita patet.
Sidera donec erunt terraeque movebitur orbis
turbine caelesti, vivet innociduus,
nulla viri tanti delent oblivia nomen
ipsum sidereo lumine praeradians.
Innumeri sed sunt, per quos tua gloria crevit,
nobilis et sapiens urbs Patavina vetus.
Iam taceam, ne mox moveat fastidia carmen;
addere claudenti prospera vota licet:
Per nova saecula recens tua laus et gloria crescat!
Lux populis remane fax radiansque novis!
Luce carent gentes: nova iam caligo minatur
terrarum populis horrificumque chaos.
Nil nisi candida lux nostris valet una mederi
vulneribus, lux est gentibus una salus.



ESTICA

A-16294

i2886598